



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XIII. Infans, qui Christi infantis statuæ panem dederat, triduo
post ad coelum uita excedens effertur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

tristabantur; sed grauiori dolore illos filius opprimebat, quem amissum existimabant. Coepit autem mater, dolore diuulsa ita conqueri. Heus, Virgo sanctissima, tibi abiens filium meum commendauit; sub fide, & praesidio tuo tutum illum esse existimabam: qui igitur fieri potuit, ut mihi illum non conseruaris? Vix haec locuta erat, cum filium uiuum, & à flammis ereptum uident.

MIRAC. VIRG. XIII.

Infans, qui Christi infantis statua panem dederat, triduo post ad coelum uita excedens effertur.

Propè Rhenū in oppido celebri, cui Spiraē nomen est, Dei matris cuidam imagini, quae tē D. Bernardum allocuta est, diuinos honores omnes largiuntur. Ibi ipsam pietatis reginam uehementer pro salute sua orabat mulier, cuius puer comedens, paullulum panis, Virginis pueri imagini obtulit, eū illis uerbis salutans, quib. in primo congressu Germani utuntur; deinde miserè flere incepit. Quare paruum eius simulachrum, qui maximus, & optimus cuncta supercilio mouet, lactè puerum illum amplexatum est; dicens, noli flere, puer; post. n. triduum mecum accubens, coelestis panis cibum capies. Illa audiens mulier, ualde metuit, & re seni sacerdoti ibidem narrata, quid illud portenderet, percunctata est. Ille prudenter eam rem expendens, mulierē monuit, ut diligenter, quid filius ageret, obseruaret; ei post triduum filium sublatum iri dicens. Quod uti praedictū fuerat.

Q

fuerat.

fuerat, euenit. In febrim. n. puer incidens, tertio die ad Christum elatus est.

MIRAC. VIRG. XIII

Ab Hebraea, quae utero laborabat, uocata misericordiae mater, ei opem fert.

Hebraea mulier pariendi difficultate in summas angustias coniecta, è uitae spe omnino deciderat; cuius ad finem se planè reuocari sentiebat. Iam de illius salute obstetrices ac medici omnes desperabant. Neq. uerò dolores intermittebant; sed in maximis aerumnis constituta lucem conspexit, uoxq. ex ipsa luce proficiscens audita est, quae dicebat ò mulier, Mariae nomen inuoca, & seruaberis: Dei matrem implora, & ea opportunè adueniès, tibi opitulabitur. Interim alma lux illa discessit; cuius fulgētissimi radij in Iudaeae cor penetrarūt; quae statim pulcherrimum filium absq. ullo dolore peperit. Quae ibi aderant Hebraeae mulieres audito sacratissimo Virginis nomine, quod tantopere oderūt: animo ualde perturbatae, ira in puerperam acriter exardebant. Ni autem eo tempore Dei infinita clementia miseram respexisset; illarum impetus non potuisset effugere.

